sensibus deus vivificare operatur in anima sicut enim anima vita est corporis ita deus vita est anime
ut sicut corpus mortuum est quod per quinque sensus ab anima non vegetatur ita anima mortua
que per hec a domino non vivificatur || Dominica infra oct. de verbis apocalip-
sis iohannis. Sermo xxxix.

Signum apparuit in celo mulier amicta sole et luna sub pedibus eius et in capi-
te eius corona stellarum duodecim || Vehementer quidem nobis dilectissimi
vir unus et mulier una nocuere sed gratias deo per unum nihilominus virum et mu-
lierem unam omnia restaurantur nec sine magno fenore gratiarum. Neque enim sicut
delictum ita et donum sed excedit damni estimationem beneficii magnitudo. Sic ni-
mirum prudentissimus artifex quod quassatum fuerat non confregit sed utilius omnino
refecit ut videlicet nobis novum formaret adam ex veteri et evam transfunderet in
mariam. Et quidem sufficere poterat christus siquidem et nunc omnis sufficientia nostra ex deo
est sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis ut adesset nostre repa-
rationi uterque sexus quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis plane et potens
mediator dei et hominum homo christus ihesus sed divinam in eo reverentur homines maies-
tatem. Absorpta videtur in deitate humanitas non quod mutata sit substantia sed affectio
deificata. Non sola illi canitur misericordia canitur pariter et iudicium quia et si didi-
cit ex hiis que passus est compassionem ut misericors fieret habet tamen et iudicia-
riam potestatem. Denique deus noster ignis consumens est. Quid mirum vereri peccatorem accede-
re quemadmodum fluxit cera a facie ignis sic pereat ipse a facie dei. Itaque iam ne
ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa invenietur equidem locus eius in hac
reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem istum nec alter nobis utili-
or quam maria || Crudelis nimium eva per quam serpens antiquus pestiferum
etiam ipsi viro virus infudit sed fidelis maria que salutis antidotum et viris et
mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis hec propitiationis. Illa
suggessit prevaricationem hec ingessit redemptionem. Quid ad mariam trepidat
humana fragilitas. Nihil austerum nihil terribile totum suave est omnibus offerens
lac et lanam. Revolve diligentius evangelice historie seriem universam et si
quid forte increpatorium si quid durum si quid denique signum vel tenuis indig-
nationis occurrerit in maria de cetero suspectam habeas et accedere verearis.
Et si vero plena magis omnia pietatis et gratie plena mansuetudinis et misericordie que
ad eam pertinent inveneris age gratias ei qui talem tibi mediatricem benignissima
miseratione providit in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia fac-
ta est sapientibus et insipientibus copiosissima caritate debitricem se fecit omnibus miseri-
cordie sinum aperuit ut de plenitudine eius accipiant universi. Captivus redemp-
tionem eger curationem tristis consolationem peccator veniam iustus gratiam ange-
lus letitiam denique tota trinitas gloriam filii persona carnis humane substan-
tiam ut non sit qui se abscondat a calore eius || Putasne ipsa est sole amic-
ta mulier. Esto siquidem ut de presenti ecclesia intelligendam prophetice visionis
seriem ipsa demonstret. Sed illud plane non inconvenienter marie videtur
attribuendum. Nimirum ea est que velut alterum solem induit sibi quemad-
modum ille super bonos et malos indifferenter oritur. Sic ipsa quoque preterita non

discunt nec tam sed omnibus se exorabilem omnibus clementissimam prebet omnium denique
necessitates amplissimo quodam miseratur affectu nec et defectus omnis sub ea et
quicquid fragilitatis seu corruptionis est excellentissima quadam sublimitate pre
ceteris omnibus excedit et supergreditur creaturis ut merito sub pedibus eius luna esse
dicatur. Alioquin nihil magnum dixisse videbimur ut sit luna ista sub pedibus eius
quam super omnes choros angelorum super cherubim et seraphim exaltatam nephas
est dubitare. Solet autem luna non modo defectum corruptionis sed et stultitiam men
tis nonnumquam vero et ecclesiam huius temporis designare. Illam quidem propter mutabilitatem
hanc sane propter susceptum aliunde splendorem. Utramque vero ut ita dixerim lunam
sub Marie pedibus satis congrue intelligi puto alio tamen atque alio modo. Siquidem stul
tus ut luna mutatur sapiens autem permanet ut sol. In sole nimirum et fervor
et splendor stabilis in luna solus splendor atque is mutabilis omnino et incertus
qui numquam in eodem statu permanet. Jure ergo Maria sole perhibetur amicta que
profundissimam divine sapientie ultra quam credi valeat penetravit abissum
ut quantum sine personali unione creature conditio patitur luci illi inaccessibili vi
immersa deatur immersa. Illo nimirum igne labia prophete purgantur. Illo igne
seraphim accenduntur. Longe vero aliter meruit Maria non velut summatim
tangi sed operiri magis et circumfundi et tamquam igne ipso concludi. Candidissi
mus sane sed et calidissimus huius mulieris amictus cuius omnia tam excellenter
irradiata noscuntur ut nihil in ea non dico tenebrosum sed ne subobscurum saltem
vel minus lucidum sed nec tepidum quidem aliquid aut non ferventissimum liceat sus
picari. Insipientia vero omnis longe sub pedibus eius est ut penitus absit hec ab
ipsis etiam numero mulierum et collegio virginum fatuarum. Nimirum et unicus il
le stultus et totius stultitie princeps qui vere mutatus ut luna sapientiam perdidit
in decore suo sub Marie pedibus conculcatus et contritus miseram patitur servi
tutem. Nimirum ipsa est quondam a Deo promissa mulier serpentis antiqui caput
virtutis pede contritura cuius plane calcaneo in multis versutiis insidiatus
est sed incassum. Sola enim contrivit universam hereticam pravitatem. Alius non de sub
stantia carnis sue Christum edidisse dogmatizabat alius parvulum non peperisse sibi
labat alius post partum virum cognitam blasphemabat alius Dei matrem audire
non sustinens magnum illud nomen theothocos impiissime sugillabat. Sed
contriti sunt insidiatores conculcati supplantatores confutati derogatores
et beatam eam dicunt omnes generationes. Denique et statim a partu ipso draco
ei insidiatus est parienti ut nascentem exciperet filium devoraret quia inimicitie
essent inter semen mulieris et draconis. Jam si ecclesia lune magis in
telligenda vocabulo eo quod videlicet non ex se splendeat sed ab eo qui dicit
Sine me nihil potestis facere habes mediatricem quam tibi paulo ante
commendavimus evidenter expressam. Mulier inquit amicta sole et luna sub pe
dibus eius. Amplectamur Marie vestigia fratres mei et devotissima supplicatione
beatis illis pedibus provolvamur. Teneamus eam nec dimittamus donec bene
dixerit nobis potens est enim. Nempe vellus est medium inter rorem et aream
mulier inter solem et lunam Maria inter Christum et ecclesiam constituta. Sed forte

minus non tam vellus opertum rore quam amictam sole mulierem. Magna siquidem
vicinitas sed mirari oportet vicinitatem solis et mulieris. Quomodo enim in vehementi fervo-
re tam fragilis natura subsistit. Merito quidem admiratus Moyses sancte et curiosus
desiderans intueri visionem. Et solve calciamenta de pedibus tuis et involucra
pone carnalium cogitationum si accedere proposuisti. Vado inquit et videbo visionem
hanc magnam. Magna plane visio rubus ardens sine combustione, magnum signum
mulier illesa manens amicta sole. Non est rubi natura opertum undique
flammis manere nec comburi, non mulieris potencia ut sustineat solem. Amic-
tam non est virtutis humane sed nec angelice quidem. Sublimior quidem necessa-
ria est. Spiritus sanctus inquit superveniet in te. Et tamquam responderet illa: quia spi-
ritus est deus et deus noster ignis consumens est. Virtus inquit non mea non tua sed al-
tissimi obumbrabit tibi. Nichil itaque mirum si tali umbraculo talis eciam amic-
tus a muliere sustineatur. Mulier inquit amicta sole, plane amicta lumine
sicut vestimento. Non percipit forte carnalis, nimirum spirituale est, stulticia illi
videtur. Non sic videbatur apostolo qui dicebat: Induimini dominum Ihesum Christum. Quam familia-
ris ei facta es domina, quam proxima immo quam intima fieri meruisti, quantam in-
venisti graciam apud deum. In te manet et tu in eo, et vestis eum et vestiris ab
eo. Vestis eum substancia carnis et vestit te ille sue gloria maiestatis. Vestis
nube solem et sole ipsa vestiris. Novum enim fecit dominus super terram ut mulier
circumdaret virum, nec alium quam de quo dicitur: Ecce vir oriens nomen eius. Novum
quoque fecit in celo ut sol circumdaret mulierem et mulier sole appareret
amicta. Denique et coronavit eam ut verissime ab eo meruit coronari. Egre-
dimini filie Syon et videte regem Salomonem in dyademate quo coronavit eum
mater sua. Verum hoc alias. Interim sane ingredimini magis et videte reginam
in dyademate quo coronavit eam filius suus. || In capite inquit eius corona stel-
larum duodecim. Dignum plane stellis coronari caput quod et ipsis longe clarius
micans ornet eas potius quam ornetur ab eis. Quidni coronent sidera quam
sol vestit. Sicut dies verni circumdabant flores rosarum et lilia convallium.
Nimirum leva sponsi sub capite eius et iam dextera eius amplexabitur eam. Quis
illas estimet gemmas, quis stellas nominet quibus Marie regium dyadema com-
pactum est. Supra hominem est huius corone racionem exponere, indicare composi-
cionem. Nos tamen pro modulo nostre exiguitatis abstinentes a periculoso scrutinio se-
cretorum, non incongrue forsitan duodecim stellis istis duodecim prerogativas gra-
ciarum intelligere videamur quibus Maria singulariter adornatur. Siquidem invenire
est in Maria prerogativas celi, prerogativas carnis, prerogativas cordis. Et si fuerit
ternarius iste per quaternarium multiplicatus, habemus forte stellas duodecim
quibus regine nostre dyadema prefulgeat universis. || Michi sane rutilat ful-
gor primo quidem Marie generatione, secundo in angelica salutacione, tercio spiritus sancti
superventione, quarto filii dei inenarrabili conceptione. Sic et in his quoque siderei-
um plane rutilat decus quod virginitatis primiceria, quod sine corrupcione fecunda,
quod sine gravamine gravida, quod sine dolore puerpera. Nichilominus eciam speciali
quodam splendore in Maria choruscare mansuetudo pudoris, devotio hu-

militantis magnanimitatis credulitatis martirium cordis. Hec quidem si sedulita-
tis erit singula queque diligentius intueri nos interim sufficisse videbimur si
breviter ea potuerimus demonstrare. ¶ Quid ergo sidereum micat in generatione
Marie? Plane quod ex regibus orta, quod ex semine Abrahe, quod generosa ex stirpe
David. Si id parum videtur, adde quod generationi illi ob singulare privilegium
sanctitatis divinitus noscitur esse concessa, quod longe ante eisdem patribus celitus repro-
missa, quod misticis prefigurata miraculis, quod oraculis prenunciata propheticis.
Hanc sacerdotalis virga dum sine radice floruit, hanc Gedeonis vellus dum in
medio sicce aree maduit, hanc in Ezechielis visione orientalis porta que nulli
umquam patuit prefigurabat. Hanc denique pre ceteris Ysayas nunc virgam de radice
Jesse orituram promittebat, nunc evidentius virginem parituram. Merito signum
hoc magnum in celo apparuisse scribitur. Dominus ait ipse dabit vobis signum. Ecce
virgo concipiet. Magnum profecto signum dedit, quia et magnus ipse qui dedit. Huius
ergo progenitrice fulgor quorum non reverberent vehementer acies oculorum?
Jam vero quod tam reverenter, tam officiosissime ab archangelo salutata est
ut iam in regali solio super omnes celestium ordines legionum exaltata videretur,
et paulominus adoraturus feminam qui solebat ab hominibus adorari eam
nunc adorare. Excellentissimum nobis innuit virginis meritum et singularis
gratiam commendat. Quid de illo fulgore novus ille conceptionis modus ut non in iniqui-
tate quemadmodum cetere omnes, sed superveniente Spiritu Sancto sola et de sola sanctificatione
Maria conciperet. ¶ Nam quod verum Deum et Dei filium genuit ut idem ipse Dei atque
hominis filius unus omnino Deus et homo prodiret ex Maria, abyssus est luminis, ut fa-
cile dixerim quod nec angelicus oculus ad huius fulgoris vehementiam non caliget.
¶ De cetero sane virginitatis munus et propositum virginitatis et ipsius quoque
propositi novitas evidenter illustrat, quod videlicet in libertate spiritus legis Moysa-
yce decretum transcendens illibatam Deo corporis simul et spiritus sanctimoniam vovit. Pro-
bat enim propositi inviolabile fundamentum quod tam constanter promittenti filium an-
gelo respondet: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Propterea enim forte
primo turbata est in sermone eius et cogitabat qualis esset ista salutatio, quod
benedictam se audisset in mulieribus, que benedictionem numquam in virginibus semper opta-
bat. Et nunc quidem cogitabat qualis esset ista benedictio que iam videretur esse
suspecta. Verum ubi vero in promissione filii manifestum virginitatis periculum vi-
debatur, non potuit ultra dissimulare quin diceret: Quomodo fiet istud, quoniam virum non
cognosco? Merito proinde et illam meruit benedictionem et hanc non amisit, ut lon-
ge gloriosior fiat et virginitas ex fecunditate et ex virginitate fecunditas,
hec mutuis sese radiis illustrante hec duo sidera videantur. Magnum enim est
virginem esse, sed virginem matrem esse longe amplius per omnem modum. ¶ Iure
etiam illud molestissimum tedium quo reliquie omnes gravide mulieres laborare
noscuntur sola non sensit que sola sine libidinosa voluptate concepit. Unde et
tempore sue conceptionis in eo quo cetere potissimum miserabiliter affliguntur Maria to-
ta alacritate montana conscendit ut Elizabeth ministraret. Sed et ascen-
dit Bethleem imminente iam partu portans preciosissimum illud depositum portans

onus leve portavit a quo portabatur. Sic et in partu quem lucidum est quia nova exulta-
tione novam prolem edidit sola inter mulieres a communi maledicto et dolore parienti-
um aliena. Si vero preciam de virtute pensamus nichil hys mirius potest inveniri
siquidem in omnibus istis nec primam similem visa est nec habere sequentem. Et quidem nescio si
ea sedem inveniuntur sine dubio ammirationem capimus sed venerationem sed devotio-
nem sed consolationem. Ceterorum que restant adhuc etiam imitationem requirunt.
Non est nobis ante ortum tam multis forte indiciis modis promitti divinitus re-
velatus preciari sed nec ab archangelo gabriele tam nove salutationis obsequiis
honorari. Ac magnam ceterum duo reddit nobis plane secretum fuit sibi sola enim est
de qua dictum quod in ea natum est de spiritu sancto est. Sola cui dictum quod ex te nascetur sanctum
vocabitur filius dei. Offerentur regi virgines post eam nam primitie sola meruerat
sibi. Multo magis autem sola sine corruptione concepit sine gravamine tulit sine dolore
filium parturivit. Itaque nichil horum a nobis exigitur sed exigitur plane non nichil.
Nunquid enim si defuerit nobis etiam mansuetudo pudoris si humilitas cordis si
magnanimitas fidei si compassio mentis negligentiam nostram munere tu singulari-
tatis excusabit. Carissima sane gemma in diademate micans in capite sed
latebit in fronte hominis verecundia. An vero quis putat quod hac caruerit gratia que
gratia plena fuit. Prudentissima fuit maria. Ex evangelio id probamus. Ubi enim
aliquando locuta. Ubi presumptuosa videtur fuisse videtur. Foris stabat querens lo-
qui filio nec materna auctoritate aut sermonem interrupit aut habitationem ir-
rupit in qua filius loquebatur. In omni denique textu quatuor evangeliorum si bene
memini non nisi quater mariam loquentem audimus. Primo quidem ad angelum sed cum iam
semel atque iterum allocutus fuisset. Secundo ad elizabeth quando vox salutationis eius Iohan-
nem exultare fecit in utero et ea magnificante mariam ipsa magis dominum mag-
nificare curavit. Tertio ad filium cum esset annorum duodecim et ipsa et pater eius
dolentes quesissent eum. Quarto in nuptiis ad filium et ad ministros et ipsi quidem ser-
mo certissimus index ingenite mansuetudinis et virginalis verecundie fuit.
Alienam quippe verecundiam suam reputans sustinere non potuit non potuit vini
defectum dissimulare. Ubi sane increpata a filio tamquam mitis et humilis corde nec illi
respondere nec tamen desperavit ministros admonens facere quod diceret eis. Nunquid non ab
initio venisse pastores et primam omnium invenisse mariam legimus. Et invenerunt
ait evangelista mariam et ioseph et infantem positum in presepio. Sic et magi
quoque si recolis non sine maria matre eius puerum invenerunt. Et inducens in templum
dominum templi dominum multa quidem a symeone audivit tam de eo quam de ipsa ad loquen-
dum tarda velox ad audiendum. Et quidem maria conservabat omnia verba hec
conferens in corde suo. Sed in hys omnibus neque de ipso dominice incarnationis
misterio tantillum verbi reperies. Ve nobis qui spiritum habemus in naribus. Ve qui totum
proferimus spiritum qui iuxta illud virgilii pleni rimarum effluximus undique.
Totiens denique maria filium audivit non modo turbis loquentem in parabolis sed et
discipulis secretius regni dei misteria revelantem. Videt denique in cruce pendentem
sed in hys omnibus quotiens verecundissime virginis quotiens pudicissime tur-
turis vox memoratur audita. Denique legis in actibus apostolorum quod redeuntes

In omni evangelio maria nisi quater loquens audita

a monte oliveti

a monte oliueti viriliter prosequebantur in oratione, quod si forte maria nomine
tu prima que super omnes est, tamen filii peregrina quantum privilegio sanctitatis, petrus et
andreas aut iacobus et iohannes et ceteri qui sequuntur hii omnes prosequebantur unani-
miter cum mulieribus et maria matre christi iesu. ne et mulierum sese ultimam exhiberet
ut novissima poneret, vere carnales adhuc discipuli quibus medium erat spiritus
datus quod medium tunc erat glorificatus quantum factum est inter eos contentio de primatu, sed
maria quanto maior erat humiliabat se non modo in omnibus sed per omnibus. merito facta est
novissima prima que cum prima esset omnium sese novissimam faciebat, merito facta
est omnium domina que se omnium exhibebat ancillam, merito denique est super angelos ex-
altata que infra viduas et penitentes se infra eam de qua eiecta fuerunt septem de-
monia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat. obsecro vos filiole emulamini
hanc virtutem si mariam diligitis, si contenditis ei placere emulamini modestiam eius
nichil enim tam praeclarum homini vel tam acquirat carissimo, maxime quod monichum vel
a deo decet. Et quidem manifeste patet in virgine ex hac ipsa mansuetudine virtus
humilitatis claret, minime collectione sunt humilitas et mansuetudo, in eo confe-
derate germanius qui dicebat discite a me quia mitis sum et humilis corde. Sicut
enim mater presumptionis elatio, sic mansuetudo vera non nisi ex vera humilitate proce-
dit, non in sola tantum taciturnitate commendatur humilitas, sed evidentius resonat in ser-
mone. Audieras quod ex te nasceretur sanctum vocabitur filius dei, et nichil aliud quam
ancillam eius sese esse respondit. Inde venit est ad elizabeth et continuo virgi-
nis gloria singularis eidem per spiritum revelatur. denique et mirabatur personam ve-
nientis dicens unde hoc michi ut veniat mater domini mei ad me. Commendabat et vo-
cem salutantis adiciens ut facta est vox salutationis tue in auribus meis exulta-
uit in gaudio infans in utero meo. Et beatificat fidem credentis. beata inquiens
que credidisti quoniam perficientur in te que dicta sunt tibi a domino. Magna quidem pre-
mia sed et devota humilitas nichil sibi passa retinere, magis universa re-
fundit cuius in se beneficia laudabantur. Tu inquit magnificas matrem domini sed
magnificat anima mea dominum. In voce mea filium prohibes exultasse in gaudio sed
exultavit spiritus meus in deo salutari meo et ipse tamquam amicus sponsi gau-
dio gaudet ad vocem sponsi. beatam esse dicis que credidisti sed credulitatis et
beatitudinis causa respectus est superne pietatis ut ex hoc magis beatam me
dicant omnes generationes quia ancillam humilem et exiguam respexit deus. ⸿ Ve-
rumtamen non putamus fecit elizabeth sanctam eo quod per spiritum loquebatur errasse. Ab-
sit. beata plane quam respexit deus et beata que credidit. hic enim magnus
divine respectionis exstat fructus. Ineffabili siquidem artificio spiritus superve-
nientis tante humilitati magnanimitas tanta in secretario virginei cordis ac-
cessit ut quemadmodum integritati et fecunditati proximus hec quoque nichilo-
minus stelle ex respectu mutuo clariores, quatenus nec humilitas tanta minuit
magnanimitatem nec magnanimitas tanta humilitatem. sed in sua estimatione tam
humilis esset nichilominus et in promissione credulitate magnanimis ut que nichil
aliud quam exiguam reputabat ancillam ad incomprehensibile hoc misterium ad admi-
rabile commercium ad inscrutabile sacramentum nullatenus dubitaret electam et veram
dei atque hominis genitricem credidit mox futuram. Agit hoc nimirum in cordibus elec-

De humilitate marie

totum gratie prerogativa divine ut eos nec humilitas pusillanimes faceret nec magnanimitas arrogantes magis autem eo plus sibi utraque collata nulla ex magnanimitate subrepat elatio sed hinc maxima probatur humilitas ut inveniamus eo amplius timoratam et largitori munerum non ingratam ac vicissim ex occasione humilitatis pusillanimitas nulla subripiat sed quo minus de sua quisque in omnibus presumere consuevit eo amplius etiam in magnis quibusque de divina virtute confidat. Martyrium sane virginis quam nimirum inter stellas diadematis eius si meministis duodecimam numeravimus tam in Symeonis prophetia quam in ipsa dominice passionis historia commendatur. Positus est hic, ait sanctus senex de puero Jhesu, in signum cui contradicetur et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Ad Mariam dicebat. Vere tuam, o mater beata, animam gladius pertransivit. Alioquin non nisi eam pertransiens carnem filii penetraret. Et quidem postea quam emisit spiritum tuus ille Jhesus omnium quidem sed tuus specialiter ipsius plane non attigit animam crudelis lancea nec mortuo parcens cui nocere non posset aperuit latus sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima ibi non erat sed tua plane inde nequibat avelli. Tuam ergo pertransivit animam vis doloris ut plusquam martyrem non immerito predicemus in qua nimirum corporee sensum passionis excessit compassionis affectus. An non plus quam gladius fuit tibi sermo ille revera pertransiens animam et pertingens usque ad divisionem anime et spiritus: Mulier ecce filius tuus. O commutationem. Johannes tibi pro Jhesu traditur, servus pro domino, discipulus pro magistro, filius Zebedei pro filio dei, purus homo pro vero deo. Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret hec auditio quando et nostra licet saxea licet ferrea pectora sola recordatio scindit. Non miremini fratres quod Maria martyr in anima fuisse dicatur. Miretur qui non meminit audisse se Paulum inter maxima gentium crimina memorantem quod sine affectione fuissent. Longe id fuit a Marie visceribus, longe sit a servulis eius. Sed forte quis dicat: Numquid non eum prescierat moriturum? Et indubitanter. Numquid non sperabat continuo resurrecturum? Et fidenter. Super hec doluit crucifixum? Et vehementer. Alioquin quis tu frater aut unde tibi hec sapientia ut mireris plus Mariam compatientem quam Marie filium patientem. Ille etiam corpore mori poterat, illa commori corde non potuit? Fecit illud caritas qua maiorem nemo habuit, fecit et hoc caritas cui post illam altera non fuit.

Jam te, mater misericordie, per ipsum sinceritatis tue mentis affectum populus pristinus [illegible] iacens provolutus pedibus sub luna mediatricem sibi apud solem iustitie constitutam devotis supplicationibus interpellat ut in lumine tuo videat lumen et solis gratiam tuo mereatur obtentu quem vere amavit pre omnibus et ornavit stola glorie induens et coronam pulchritudinis ponens in capite tuo. Plena es gratia, plena es rore celesti, innixa super dilectum deliciis affluens. Ciba hodie pauperes tuos, o domina; ipsi quoque catelli de micis edant, nec puero Abrahe tantum sed et camelis potum tribuas de superefluenti ydria tua, quia tu vere puella es prelecta et preparata altissimo filio qui est super omnia deus benedictus in secula. Amen.

Eiusdem virginis

In nativitate beate Marie de aqueductu sermo xl[illegible]

tris amplectitur celum presentiam, terra memoriam veneratur. Sic nimirum totius boni illic exhibitio, hic recordatio dicitur. Illic sanctus, hic terris quedam libamina prominata. Illic res et hic nomen. Domine, inquit, nomen tuum in eternum et memoriale tuum in generatione et generationem. Generatio et generatio non angelorum profecto